



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi Opusculum Asceticum Posthumum

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1643

47. De Beatitudine Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46564](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46564)

istorum omnium mentes effunde,
 vt aduertant cæcitatem & errores
 suos; vt videant æternæ salutis dis-
 criminen quod certissimè illis im-
 pendet: vt amplectantur lucem
 doctrine tue, quam per Ecclesiam
 omnibus proponis, & sic illuminati
 tuam maiestatem ac prouidentiam
 agnoscant timeant, ament, laudent,
 venerentur, & hîc pro tempore hu-
 ius vite, & postea in omnem æter-
 nitatem Amen.

CONSIDERATIO XLVII.

De Beatitudine Dei.

Beatitudo formalis naturæ
 rationalis, hominis & An-
 geli consistit in clara visione
 Dei, summi boni nostri,
 eiusq; amore & fruitione. Vnde Dei
 beatitudo formalis consistit in cla-
 ra visione sui, in sui amore & frui-
 tione. Ipse enim sicut est summum
 bonum

bonum hominis & Angeli; ita etiam est summum bonum sui: nec potest fingi aliud bonū ipso maius, aut excellentius, cuius visione & fruitione ipse sit beatus. Tantum itaque est bonum ipse Deus & diuina essentia, vt sola ipsius visio & fruitio, seu gustus dulcedinis ipsius, etiam Deum ipsum beatum faciat; sicut amor sui facit ipsum iustum & sanctum.

Itaque Deus *Beatus* dicitur quia seipsum clarè videt & amat, & se ipso fruitur, tanquam summo bono suo. Vnde cum seipsum comprehensiuè & infinite videat, & amet, & de se infinite gaudeat; necesse est ipsum infinite beatū esse; & ipsius beatitudinem formalem prorsus esse infinitam: nam isti tres actus prorsus adæquantur obiecto, quod prorsus est infinitum.

2. Dicitur *Beatus*; quia per essentiam beatus est, sicut & infinitus, &

tus, & sanctus: imò ipse est sua beatitudo formalis. Ipse enim est sua visio, suus amor, suum gaudiũ, sua delectatio &c. Non enim hæc in ipso sunt accidentia, vel actus vitales elicitivi luminis gloriæ in intellectu vel voluntate ipsius, sicut in Angelis & hominibus; sed sunt ipsa simplex forma per se subsistens, quæ est ipsius essentia: quod maximè est admirabile.

3. Dicitur *Beatus*; quia non solum est sua beatitudo formalis, sed etiam est sua beatitudo obiectiva; cuius visione & fruitione & ipse, & omnes sancti sunt beati: ipse enim non solum est sua visio, suus amor, suum gaudium; sed etiam est sua essentia, & suum summum bonum; & obiectum, in quo omne bonum, cuius visione & fruitione, & ipse beatus est, & omnes sancti beatificantur. Itaque ipse, & ex parte actus, ut sic loquar, & ex parte ob-

iecti,

lecti, à se beatus est; atque adeo est sua beatitudo tã formalis quàm obiectiua.

4. *Beatus* dicitur; tanquam auctor omnis beatitudinis, in Angelis & hominibus. Ipse enim illos condidit ad imaginem, & similitudinem suam, vt eos beatitudinis suæ faceret participes; deinde, eis gratiæ dona infudit, quibus possent eam mereri, eiusque se dignos præstare; & perseuerantibus in statu gratiæ, post mortem infundit lumen gloriæ, vt eum clarè videre, eiusque dulcedine, & pulchritudine frui possint, in quibus actibus consistit nostra beatitudo. Quare cum omnis beatitudo ab ipso descendat, sitque participatio quædam beatitudinis ipsius, necesse est ipsum modo infinitè excellentiori beatum esse.

N

CON-